



Q. B. V.

EX

HISTORIA NATURALI,

DE

MUNDO,

PRÆSIDE,

JOH. BAPTISTA

RÖSCHELIO,

Physices Professore Publico,

Disputabit

CHRISTIANUS AGRICOLA,

Bernst. Siles.

*In Auditorio Majori,**Ad Diem 8. April.*A. O. R. cl^o l^oc. XCIII.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS HAKII.

Q. B. N.
HISTORIA NATURALIS
DE
MUNDI
PRESIDE
JOH. BAPTISTA
RÖSCHELIO,
Physice Professore Publico,
Dissertatio
CHRISTIANUS AGRICOLA,
Bonn. Silb.
in Auditorio Majori,
Am Diem 8. April.
A. O. R. de R. XCIII.

WITTEBERG,
J. JOHANNIS HARTII



I. N. J.



Vid de Mythica ænigmaticaque Veterum philosophandi ratione habendum sit, non una eademque omnium mens est aut sententia. Nam TITUS FLAV. CLEMENS (a) inexhaustæ tam humanæ quam divinæ doctrinæ Vir, eam plus vice simplici laudat ac ut maximè utilem commendat, & DIONYSIUS (b) falso Arcopagita dictus, duplicem Symbolorum speciem constituens, unam quæ dignis & eximiis è rebus capitur, alteram quæ ex absurdis & male sonantibus petitur, hanc posteriorem priori antecellere, & ad mentes nostras altius erigendas aptiorem videri asserit. SALUSTIUS CYNICUS (c) autem velut è professo & summo studio causam ejus acturus, *ad veritatem*, inquit, *de Diis universos docere velle, stultis quidem quod talia discere nequeunt contemptum; Studiosis vero negligentiam adfert. At vero fabulis veritatem obscurare tam hos contemnere non sinit quam illos philosophari cogit. Mox turpia illa & abjecta veris obtendi dicit, ut ex illa, quæ apparet absurditate, statim animus involucra esse, quæ dicuntur intelligat, quod autem verum est, id arcanum esse ac latens existimet.* Seditus sine dubio, vestigia Stoicorum, quibus in more positum fuit, fabulas Poëtarum, vel de Naturalibus, vel etiam de rebus ad mores pertinentibus interpretari. Contra EUSEBIUS PAMPHILI in eruditissimis, quos de Præparatione Evangelica scripsit, libris, nihil horum omnium fabulatoribus illis, unquam in mentem venisse, ostendere est conatus, & D. AUGUSTINUS (d) Nobile Africæ sidus, inanem ac ludicram gentilium tergiversationem esse statuit, quicquid ab iis in me-

A 2

dium

(a) Lib. II. & IV. Strom. (b) Lib. de Eccles. Hierar. c. 2. (c) De Dijs & Mundo c. 4 p. 38. (d) Lib. de Civ. D. I. & IV.

dium adducitur. Imo ipsi CICERONI (a) idem visum est cum ait. *Utrum Poetae Stoicos depravaverint, an Stoici Poëtis dederint auctoritatem non facile dixerim, portentis enim & flagitiis ab utrisque dicuntur.* Nec mitius sentit JOH. OWENUS, (b) sed longe tamen acerbius est iudicium, quod HERMANNUS CONRINGIUS (c) tulit, *constat, inquit, omnem gentilium Theologiam, partim ex fabulis & commentis malefactorum hominum, partim ex Dæmonum illusionibus profectam esse.* Quæ vero sunt ejusmodi, si velis ratione certa facere, nihil plus sane agis, quam si ut ille ait, cum recta ratione insanias.

2. Enimvero in non paucis Antiquorum fabulis, mysterium & allegoriam jam ab origine subesse, & minime proletariam aut vulgarem sapientiam reconditam latere, evidenter satis arguunt, tum nomina, quibus personæ sive actores fabulæ insigniti prodeunt, tum ipsa fabularum textura. Quemadmodum id pluribus exemplis jam dudum demonstratum dederunt, FR. B. BACO de VERULAMIO, (d) GERH. JOH. VOSSIUS, (e) P. DAN. HUETIUS, (f) Viri infinitæ lectionis & summi iudicii. Quare nil opus est prolixiore probatione aut operosiore variorum speciminum inductione, unicum adduxisse non erit molestum. Svavissimam nempe illam Narrationem quæ apud HERMETEM TRISMEGISTUM (g) in Pimandro occurrit, DE CRATERE MENTE REPLETO, & in medio animarum, mentis expertium posito, ut in eum sese immergerent, quotquot earum mentem consequi desiderarent. In hac enim graphicè & scitè admodum, hominis conditionem, post lapsum adumbrari facile deprehendet, quisquis paulò diligentius animum advertet. Intellectus quippe hominis lapsi usque adeo corruptus, & donis suis exutus est, tantaque cæcitate laborat, ut nisi denuo excolatur, vix mentis appellatione dignus sit, quo autem id commodius fieret, omnisque ignorantia tanto feliciter depelleretur, Con-

- (a) *L. dit.* (b) *Pref. la Theologia.* (c) *Lib. I. de Her. Med. c. 2. p. 3.*
 (d) *Lib. de Sapientia Veterum, fol. 1248. sqq.* (e) *In Libris de Ortu & Prog. Idol.* (f) *In Demonstr. Evangel. Propos. IV. cap. X.*
 (g) *Cap. 41. fol. 19. cum Com. Res.*

ditor O. M. cum craterem Gratiæ in verbo suo proposuit, tum Craterem Naturæ & Mundi in medium collocavit, ut hujus degustata suavitate ad priorem quoque quærendum homo alliceretur, Sapientiâ, ex jugi & indefesso abstrusorum Naturæ mysteriorum studio enatâ, non tantum præfulgido suo jubare, obscuratam hominis mentem, à tenebris inscitæ liberante, & variarum scientiarum lumine replente, sed & certissimis evidentiisqve argumentis eum de Existentiâ sui Conditoris, sapientia item & Bonitate ejusdem, convincente.

3. Quod si fortè cuipiam in limine Philosophiæ, ubi causæ secundæ vehementius sese ingerunt, & speculantem veluti percellunt, constituto, oblivio causæ primæ & atheismus obrepit, is si modo ulterius pergere pertendat Naturæqve vires rectè scrutetur, experietur mox, verissimum esse, quod BACQ de VERULAMIO (a) dixit: *leves in Philosophia gustus, posse quempiam ad atheismum movere, sed pleniores haustus eum ad religionem reducenturos.* Quisquis enim causarum dependentiam, seriem & concatenationem operaqve Providentiæ gnaviter & sedulo excutit, facile credit, secundum mythologiam Poëtarum, summum Naturalis catenæ annulum, pedi solii Jovis alligari, & rectè dixisse Hermetem *ὅτι ἀφανὴς ὁ Θεὸς πανεργάτης Ἰσι.* Ut enim in stupenda corporei Mundi fabrica, infinita ejus potentia, in centri constructione admirabilis & inexhausta sapientia, in entium diversis ordinibus, mira pulchritudine & constantia summa bonitas elucescit: Sic intellectus humanus, ignavæ quietis nescius, instituto contemplationis disputationumq; cursu, per augustam Mundi machinam, velut extra Corporis sui angustias raptus, altius in Cœlum quasi penetrat ac de constantia Numinis longè fit certissimus.

4. Intellexit id CICERO (1) cum ait: *sive explicatione Natura nec pietas adversus DEum, nec quanta huic gratia debentur agnosci potest.* Nec ignoravit PHILO (2) qui ubi observasset, Jacobum, mundum, domum & veri Cæli portam nominasse, subjicit: *Mundum intelligibilem illum, qui decreto DEI, constat ex Ideis, non li-*

(a) Lib. I. de A.S. Col. 5. op. (1) Lib. 2. de fin. B. & M. §. 73. (2) Lib. de Somniis f. 593.

et nobis aliter percipere, quam ex collatione ad hunc nostrum visibilem ac sensibilem. Nam sicut civitatem visuri per portam intrant: sic qui mundum illum invisibilem volunt cognoscere, tanquam peregrini sequuntur imaginationem hujus visibilis. PLATONIS viam secutus, secundum quam sectatores ejus geminum statuebant mundum, intelligibilem unum, sensibilem alterum. Per Intelligibilem quid præcise intelligi debeat, non convenit inter Interpretes. Quidam DEum absolutè, alii nominatim λόγον, nonnulli opus creatum, extra DEum & supra mundum visibilem verè existens, singularum rerum corporearum distinctas in se formas seu ideas complectens, eo denotari arbitrantur. Hoc PLATONICIS (a) quibusdam videtur, istud MUTIO PANSÆ, (b) & M. FRID. WENDELINO, (c) illud HANNIB. ROSSELIO, (d) ex cujus ut & J. B. du HAMMEL (e) sententia, Mundus Intelligibilis seu Intellectualis, nil aliud est quam Numen, Universi causa & auctor, qui Mundus Archetypus multis dicitur, quia rerum omnium Ideas seu typos in Verbo mentis tanquam in speculo præsentis habuit. Per sensibilem vero elegantissimam Corporum Naturalium compagem designari, dubio caret omni. Et eam quidem totam, non partem solum aliquam integram præcipuam, quo pacto Festo, Cælum Mundus dicitur, nec nobilissimam, hominem nimirum, qui subinde parvus mundus audit, eo quod omnes entium creati gradus in se contineat; totam inquam systematum particularium collectionem. Totum & adæquatum DEI opus, exclusis tamen Angelis, seu Diis inferioribus, ut PLATO loquitur, integraliter sumptum. Quod quomodo speculum sit rerum invisibilium pulchrè tradit JOH. COMBACHIUS, (e) quomodo via existat ad DEum, bene exponit BONAVENTURA, (f) nec infeliciter docet BELLARMINUS. (g)

§. 5. Vocatur alias, ab immenso rerum complexu τὸ πᾶν τὸ ἄλογον i. e. *Universum s. universitas*, à figura Orbis; ab artificio *Ma-*
china

(a) *Vid. Mars. Fic. Compen. in Tim. c. II. p. 81.* (b) *Osc. Eth. & Chr. Tb. c. 76. sqv.* (c) *Cont. Phys. Sect. II. c. 10. d. Lib. III. Com. IV. Q. I.* (e) *De Cons. Ph. L. 1. c. 3.* (f) *Lib. I. Phys. c. 1.* (g) *In Itinerariq Ment. (h) In Ascens. Ment. T. VII. Opp. p. 1312.*

china, ab interno sui principio *Natura*, à præcipua parte ἐξ αὐτῆς , sed usitatissima appellandi ratione **MUNDUS** dicitur, non quod in motu sempiterno sit, ceu **ISIDORO** placuit; nec quod in divinæ Majestatis ornamentum, initio sit expressus, ut *Septimius Florens* statuit, nec quod omnia generationis varietate exornet, quod **Mercurius** voluit, Sed, auctore **PLINIO**, (a) à perfecta absolutâque sua elegantia. Mundo quippe, judicè Stoico Philosopho, nihil vel majus, vel ornatius rerum *Natura* genuit. In ipso quæ sunt suam pulchritudinem ipsa loquuntur omnia. Ut per se & sua natura **Mundus** vere sit mundus. Utrum æque bene ac rectè *Universitas* vocetur ambigit **Danaus**, sed quid obstare possit, quo minus ita exemplo *Optimorum Patrum* appelletur, non apparet, modo vox ab ambiguitate convenienter liberetur, ne aut pro universa omnium entium seriè, à qua ne **Creator** quidem excluditur, aut pro complexu rerum creatarum tam incorporearum, quam corporearum, sed pro solo ambitu *Naturæ Corporeæ* sumatur. Qui epitheton ἐξ αὐτῆς Mundo addere amant, sine dubio primordia & originem ejus respiciunt.

§. 6. Non enim ab æterno existit, aut casu exortus, aut à seipso colluctantibus ab æterno inter se **Epicuri** atomis, donec tandem temerariâ libratione talem formam exprimerent, sed à **DEO** juxta *exemplaria numerosque & modos rerum*, ut **SENECÆ** verba sonant, *quos intra se habet, & mente complectitur*, liberè, immediatè, & solo omnipotentis voluntatis nutu atque jussu, conditus est. Et quidem ut **Divinus** narrat **Historicus** in principio sive instanti temporis seu motus **DEI** ad extra. Quamvis enim ab æterno **DEO** fuit possibilis, non tamen naturaliter potuit existere, esse siquidem non potuit sine ordine, sicut ordo non sine distributione, distributio non sine motu, motus non sine actu movente ad extra, quod **DEUS** non præstitit ab æterno, sed in principio temporis, nec in instanti sed 6. dierum spatio, teste **Mose**. Cadit proinde **ARISTOTELIS**, **PLINII**, **PROCLI**, **SIMPLICI** & **AVEROIS** sententia de mundi æternitate eo quod movens & motus fuerint ab æterno, ut

(a) *Lib. 2. c. 24. H. N.*

ut quod verum quidem est ad intra, sed non ad extra. Adde
 CLAUD. BERIGARDUM in Circul. Pisan. in Procem. & Cir. II.
 & XVII. THOMAM ANGLUM Dial. 3. de Mundo, NICO-
 LAUM TAURELLUM de rerum æternitate, MICH. MA-
 JERUM de Voluc. Arbor. BERNH. TELESIIUM de R. N.
 JAC. MILICHIUM Comment. in Plin. JOH. BLANCANUM
 in Cosmog. THOMAM BRADWARDIUM de C. DEI. Ex
 Scholasticis THOMAM, BONAVENTURAM, ALEXAN-
 DRUM ALENSEM, ex quibus ut & multis aliis quos JOH.
 BLOMIUS (a) citat cognoscere licebit, quibus præliis in u-
 tramque partem comparatis defendi aut everti omnis illa
 Scripturæ Sacræ contraria & abnormis sententia soleat.

7. Cadit quoque infinitarum, quæ jam præterierunt pe-
 riodorum Stoica conversio, (b) cum totâ illa Chryssippeâ sem-
 piterna & indeclinabili rerum serie, & catenâ volvente semet-
 ipsam, & implicante per æternos consequentiæ ordines, (c) de
 quibus pulcherrime differit Celeberr. Lipsiensium Philoso-
 phus JAC. THOMASIIUS (d). Epicuræis opponi potest, cum
 consensus omnium eorum, qui ante Aristotelem philoso-
 phati sunt, & liberaliter concesserunt, Mundum hunc à DEO
 O. M. tanquam uno & primo principiorum omnium princi-
 pio, factum: tum [1] rerum omnium conservatio, nemini mor-
 talium possibilis [2] finita cujusq; rei Naturalis perfectio, non
 aliunde quam ex libera opificis voluntate profecta [3] omniū
 partium aptissima unio, prudentissimumque regimen. Adeo
 ut bene dixerit AUGUSTINUS (e): *Mundus ipse ornatissimâ
 suâ mutabilitate & mobilitate & visibilibus omnium pulcherrima spe-
 cie quodammodo tacitus & factum se esse, & non nisi à DEO ineffabi-
 liter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibili-
 ter pulchro, sapiente fieri se potuisse proclamat.* Quod pluri-
 bus demonstratum dedit HENR. MORUS. (f) De prin-
 cipio ipso quæ disputari soleant, ex TERTULLIANO, AM-
 BROSIO, AUGUSTINO, NYSSENO, BASILIO, THOMA,
 ALBERTO, COQVÆO, MOERSENNO, DRUSIO, SCHIC-
 KARDO,

(a) *In Ind. in Hexaem. p. 57.* (b) *De qua sp. Euseb. de Prop. Ev. L. XV. c. 15. 817.* (c) *Gel. N. At. L. VI. c. 2.* (d) *De Stoica M. E. Dis. XVI. p. 383.* (e) *De C. D. L. XI. c. 4.* (f) *Antid. Adv. Arb. L. II.*

KARDO, in Compendium contraxit, citatus mox JOH. BLOMIUS (a). Ad cognoscendas opiniones circa mundi annos, ab ejus initio, anni tempestatem, & Lunæ dies unus instat omnium esse potest, J. B. RICCIOLUS, (b) cur tunc, & non ante factus sit eleganter disputat AUGUSTINUS. (c)

§. 8. Produxit autem eum DEUS, non ex præexistente materia, sed ex Nihilo pure Negativo, omnimodum non esse rei producibilis involvente, cum connotato tamen non repugnantia ad existendum. Quò enim agens est perfectius, eò paucioribus indiget, & minus à materia subjecta dependet, unde, bene monente MERSENNO, agens artificiale, quia debilius, pro subjecta materia requirit totum compositum, agens Naturale quia fortius, alteram duntaxat partem compositi, materiam. Supernaturale vero & Divinum, quia Virtutis infinitæ, nulla sibi subjecta indiget materia, sed ex Nihilo quodcumque sibi placet potest efficere. Itaque *creavisse* DEUM dicit Historicus, id est, produxisse, non per generationem, neque per emanationem (necessario quodam & naturali fluxu, sed per liberam ex Nihilo productionem, particula Ex, non characterem materiae denotante, sed terminum à quo, quatenus DEUS è statu Nihilitatis in statum Entitatis deduxit, quæcumque facere constituit. Quam propriè dictam Creationem nulla evidenti ratione demonstrari posse docent Scholastici pene omnes, nec dissentit MERSENNUS, (d) sed contrarium adstruere annisus est BEN. PERERIUS (e) octo rationibus non levibus. Ut proinde reprehensionis notam merito incurrant, omnes TERTULLIANO sic dicti MATERIARI, qui duo æterna, quorum neutrum sit alterius causa procreatrix statuebant, DEUM videlicet & Materiam. Quales sunt Platonici, quorum DEUS fabro similis est à sylva sua per vastam viarum intercapedinem distracto, is quamdiu volet quiescet, ubi cupido veniet exercendæ artis, movebit se armatus ascia ad sylvam, & illi suas Ideas, quantum permittit aptitudo ejus, imprimet. Item Stoici juxta quos, DEUS

B

& ma-

(a) L. c. p. 37. 46. (b) Ch. Ref. L. VII. c. 1. p. 290. (c) De Civ. D. L. XI. c. 5. & LXII. c. VI. (d) In Gen. p. 714. (e) De P. R. p. 292.

& materia se habent ut ovum, absque principio æternum, cujus materiam undiquaque totam pervagata δύναμις animat πλαστικῇ; sed quod ipsum se vi hujus δύναμεις formet in avem, quæ circulis æternis ruditatem suam jam resumat, jam exuat, alias ovum, alias avis. Nec non Aristotelici, ex quorum sententia, DEUS veluti sol est æternus, Mundus, veluti pannus versicolor, solaribus radiis ab æterno expositus, in quo sic constituto, necessitate Naturæ colorum species ab æterno comparent, ex ipso eductæ, non inductæ à sole, per ideas, æternis alioquin absque sole si esset, sepeliendæ tenebris. Ut eleganter per allatas similitudines rem totam demonstrat JAC. THOMASIIUS (a).

§. 9. Quæ BURNETII circa hanc doctrinam vera genuinaque mens sit & opinio, certò edicere non licet, ea quæ jam subjiciam monstro non carent: sic autem is (b): *In explicanda cosmogenia Mosaica, illud primo notandum est, non id agere Mosen, ut primam materia productionem, atque universi mundi ortum describeret, sed mundi nostri scil. telluris nostræ & Cæli nostri è suo chao formationem. Neque enim à Chao & confusa materia massa ortum est totum universum ut olim Philosophatus est Epicurus. Neque omnes ipsius partes referuntur ad Terram tanquam centrum. Subjectum autem Geneseos Mosaicæ est Chaos, & confusissimum & terrestre, & quæ ex hoc Chao educta sunt. Et paucis omissis pergit: Hoc ut credamus & stellarum naturas nescire & mundi systema oportet. Præterea, mundumne Angelicum & rerum Intellectualium Ordines Moses eduxit ex suo Chao? Eorum ne meminit quidem, neque Cælorum superiorum. At meminit tamen lucis, meminit luminarium, meminit stellarum, meminit firmamenti & aquarum quæ supra illud, præter quæ, quid amplius dari existimet, BURNETIUS non fane apparet. Angelos Spiritus, è Chao s. materia educere velle, hominis est sui planè immemoris. Dicta Patrum & rationes inviétas, quibus probare se posse dicit, regiones superiores præextitisse, per ignota secula, cum non adducat, de eorum sensu & firmitate vel infelicitate judicare non possumus. De Chao, quod juxta*

(a) *Dissert. II. p. 30. f.* (b) *Tell. Th. Sac. L. II. c. 8. p. 247.*

quosdam hiatus, à χαῖνω, juxta alios confusionem, à χέω fun-
do liqvores, significat, quid Prisci recentioresque statuant,
sequentia in præsens occurrunt.

§. 10. *Primo* HESIODUS & nonnulli alii obscurius de
eo loqvuti contenti sunt ingenitam materiam ante omnes
DEOS existentem nominasse. *Deinde* ex profanis TRISME-
GISTUS, EURPIDES, OVIDIUS, DIOD. SICULUS ex Pa-
tribus GREGOR. NAZIANZENSIS, CLAUDIUS MARIUS
VICTOR dixerunt, fuisse materiam quandam informem, vel
sub una rudi forma, quæ actu nec Cælum, nec ullum elemen-
torum esset, sed in potentia tantum, tanquam seminarium
omnium rerum corporearum. *Tertio*, quidam materiam Cælo-
rum & Elementorum sub unius elementi vel simplicis cor-
poris forma prædominantem vocarunt, illudq; corpus alii di-
xerunt ferreum ut Xenophanes, alii aqueum ac fluidum ut
Thales, alii aqueum ut Parmenides, alii atomos seu corpuscu-
la insectilia, magnitudine, figura & pondere, duntaxat præ-
dita, ut Epicurus. *Quarto* Nonnulli elementa vel aliqua vel
omnia, sed permixta, actu in eo exstitisse contenderunt, & u-
num quidem Anaxagoras celebris homæomerias auctor, duo
à Cælo extra Chaos posito, distincta, terram & aquam HOME-
RUS, ORPHEUS, GUILIELMUS PARISIENSIS, HALEN-
SIS, RUPERTUS, SALIANUS & STEUCHUS; Sed ignem
& terram TELESIIUS quæ Cæli & terræ nomine sint indicata
à Mose: tria, terram, aquam, aerem CYPRIANUS, TERTUL-
LIANUS, TYCHO, KEPLER, CARDANUS. JOH. PEN-
NA & CHR. ROTHMANNUS quorum duo posteriores ex
diaphaneitate Cæli & aëris, colligunt æthera, esse ejusdem na-
turæ, cum aëre, atque adeo non dari nisi tria elementa. *Quin-
to* S. GREGORIUS videtur ponere in principio Mundi créa-
tum de nihilo tantummodo Cælum supremum & terram, a-
quam vero & reliqua corpora deinde producta. Quare Chaos
per ipsum, solam terram includebat, Cæli siquidem reliqui &
reliqua corpora ex aqua, aqua autem ex terra producta fuere.

§. 11. Quo autem ordine producta vel separata elemen-
ta & Cælum fuisse putarint alii aliter [ex PLUTARCHO [a]

[a] Lib. 2. de Plac. s. 67.

& RICCIOLLO [a] est videre. Nam Physici exordium à centro
& à terra factum dixerunt, EMPEDOCLES autem primum
discriminatum ignem, postea terram, postremo aquam
voluit. PLATO verò, quod in primis notatu dignum, visibi-
lem mundum ad similitudinem Intellectilis mundi factum,
ita censuit, ut sicut ipsi prior est anima deinde corpus, & in
corpore prius ignea & terrea portio, sic prius ignis & tellus, de-
inde aër & aqua juxta cap. 7. Plutar. qui tamen capite 6. ait
PYTHAGORAS ex figura cubica factam esse statuit terram,
ex pyramidalis ignem, ex Octaëdro aërem, ex Icosaëdro aquam,
ex Dodecaëdro universum globum. At juxta BASILIUM,
AMBRONIUM, DAMASCENUM & plerosque Græcos, Tel-
lus erat in primo illo instanti, in infimo loco, super eam a-
qua, super aquam aër, super aërem ignis, supra ignem æther
vel Cœlum. Juxta JUNILIUM in terra inclusus erat ignis &
aër, supra terram erat aqua: juxta STRABUM vero LYRA-
NUM, HUGONEM VICTORINUM, & RICHARDUM
VICTORINUM, tellus in imo erat, supra illam tria reliqua
elementa per modum spissæ nebulae, invicem permixta & por-
recta usque ad Empyreum: at juxta INNOCENTIUM Cœ-
lum seorsim, loco ignis, & terra, sed aqua & aëre mixta in
medio. Quantumcunque vero quoad contenta in Chao &
ordinem ea evolvendi inter se differentiant, tamen in univer-
sum omnes non nisi unum ex eo constitutum mundum a-
gnoscunt, alium vero ab hoc diversum ignorant penitus. Ea
quæ de mundi forma aut figura ovali, de ortu item & interitu ipsius,
in Philosophia antiqua occurrunt, non de magno Mundo sive Univer-
so intelligenda esse, sed de Mundo nostro sublunari & terrestri, ma-
num petitum est, & cum ex Varrone testam, vitellum & al-
bumen, de Cœlo, terra & aëre, interpretante: tum ex doctri-
na Persarum de Oromasde qui bonos DEos stellasque in O-
vum posuisse, memoratur, refellitur. Quomodo enim stellæ in
ovum sunt repositæ si Cœlum stelliferum nil commercii habet
cum Geocosmo? Exceptio Cœlum parum philosophicè pro-
testa haberi indigna tantò virò est, & studium cavillandi pro-
dit.

[a] Alm. P. Post. L. IX. sect. 1. p. 201. sq.

dit. Quanto proinde rectius KIRCHERUS [a] genius ille
Naturæ ait: Per terram hanc inanem & vacuum, tenebrarumque
abyssum, nihil aliud intelligitur, quam moles illa Chaotica, sive Chaos
illud immensum, omnium eorum, quibus postea mundus formandus e-
rat, seminalium rationum mixtura factum.

§. 12. Conjungerem huic libenter alterum ab ipso BURNE-
TIO [b] Principis Philosophorum nomine dignatum [c] RE-
NAT. CARTESIUM, hujusq; parastatam fidelissimum JOH.
CLAUBERGIUM, mundum non nisi unum concedentes,
utut infinitos pene admittant vortices, materiam autem uni-
versi unum quid indefinitè extensum constituere asserentes,
adeoque Corpus Physicum ac reale extensum in longum la-
tum & profundum, divisum postea in innumerabiles particu-
las, quæ ex motus diversitate ad tria summa genera reducun-
tur, quæ elementa mundi appellant. Sed quia hujus opinio-
nis Patroni, extensum suum inannihilabile statuunt, hoc vero
parum tutum videtur in fide, & rationi naturali ac revelatæ
minime est conforme, ad hæc absq; vacui in mundo, aut sal-
tem extra mundum, admissione, nulla unquam continui di-
visio, nullum unquam ejus particularum motus initium,
concipi possit. Cum enim non detur penetratio dimensionum
qui potuissent particulæ extensi continui à se invicem divelli
& ex continuis fieri sibi contiguæ nisi parum introducatur va-
cuum, aut certè dicendum in ipso divisionis ac separationis
instanti particulam in uno loco annihilatam & aliam
in altero creatam fuisse, quod absurdum. Hinc succe-
dat in eorum locum LUDOVICUS de BEAUFORT,
[d] ex cujus hypothesei DEus O. M. 10. Instanti temporis crea-
vit futuram materiam Cæli, terræ & comprehensorum, tan-
quam massam informem, molem aqueam, gelatam, glacia-
tam, immotam tenebricosam, abyssum, vel si mavis conti-
nuum secundum tres dimensiones realiter extensum, indi-
visum

[a] *Itin. Exst. D. II. c. II. p. 367.* [b] *In Dict. Phys. lb. 463. §. 229.*
[c] *Cosmog. Div. Sect. I. c. 2. 3. 4.*

visum adhuc, sed divisibile in innumerables particulas, consistentiâ, superficie ac figura diversas, eamque materiam extendisse, secundum spatium definitum, antea vacuum, & illi simile quod extra mundum concipi debet, in quo DEUS pro lubitu plures mundos posset creare, quod spatium vacuum, ab eo instanti quo materia prima fuit in eo creata & extensa Physicum reale seu mundi locus externus factum, est. Deinde secundo instanti, introductione vacui, materiam illam in particulas innumerabiles, consistentiâ superficie & figura diversas divisit, divisis motum imprefit, ut se à se invicem extricare, sese premere, pellere & dilatate, hæterogenea segregari, homogenea ad unum locum, confluere, circa parvula centra moveri possent, grassiores ad mundi centrum compingi, media gradatim circumponi, superante tenuiori materia cætera permeante, suoque motu rapiente, pellente, compingente, & spatia quæque replente. Tertio lucem excitavit & à tenebris distinxit, quod fuit tertium opus includens summum miraculum nimirum materiæ subtilis, naturâ suâ ad superiora & lineam rectam semper tendentis, flexionem & determinationem ab oriente in occidentem.

§. 10. Ab hoc non multum diversum statuit Vir celeberrimus & quem nominasse est laudasse P. GASSENDUS (a) supponens. *Primo* DEUM creasse initio tantam atomorum multitudinem, quanta fuit necessaria ut totus hic Mundus ex ea formaretur. Non quod DEO necesse fuerit creare seorsim atomos, quas deinceps in partes grandiores grandioresque ex quibus Mundus tandem constaret compingeret, sed quod creans Materiæ massam in corpuscula exsolubilem, atque adeo ex corpusculis compositam, concreasse, illi, ipsa corpuscula censeatur; *Deinde* atomos singulas, accepisse à DEO creante, ut quantulamcunque suam corpulentiam, magnitudinemque & figuram, varietate ineffabili; sic & vim congruam sese movendi, ciendi, evolvendi, & consequen-

(a) *Phys. Sect. 1. L. 3. p. 280.*

ſequenter ſeſe extricandi, emergendi, profiliendi, impingen-
di, retundendi, regrediendi, itemque ſeſe invicem appre-
hendi, complectendi, continendi, revinciendi &c. quatenus
ad omnes fines effectusque, quos tum deſtinabat, neceſſa-
rium providit. Quæcunqve verò iſtarum ſententiarum, ſi-
ve hæc, ſive prior aſſumatur, manifeſtum relinquitur id, de
quo hic ſolliciti ſumus, ſolum DEum, eſſe mundi ſeu uni-
verſi auctorem & primam cauſſam, motum vero inſtru-
mentum, quo res omnes ſunt productæ.

§. 13. Præterea tamen inde quoque conſequitur, mate-
riam, Mundi jam conſtituti, proximam eſſe univerſa Cor-
pora Naturalia, omnia Systemata particularia, cum ſuis par-
tibus integrantes. Quotquot illorum ſunt. Plura enim
eorum eſſe quam vulgo numerari ſolent, probare videntur
decreta Aſtronomorum, non tantum Veterum, ſed etiam
recentiorum, ſtatuentium circa complures ſtellas, ut circa
hanc ſolem proprios Planetas oportere intelligere, quorum
ſe unus perinde habeat atque hæc tellus noſtra cum aliqui-
bus circumſtantibus, vel ipſam ſtellam concipiendam eſſe
quæſi tellurem, in qua ſit ſolida quædam humidaque ſub-
ſtantia, & ex qua continuo emergant vapores, aëris inſtar
ipſam circumambientes, & circa quam remotus æther cir-
circumfuſus, cum interſperſis innumeris ſideribus appa-
reat. De eo autem, quod inde conſequi, videtur, ſintne
in ejusmodi telluribus, animantes aliæque res quæ naſcan-
tur intereantque, itemque homines, an ſecus, alii quidem
aliter ſentiunt. Nam ex Veteribus id aſſerebant Xeno-
phanes apud CICERONEM, PYTHAGORÆI apud PLU-
TARCHUM, ACHILLES TATIUS: ex recentioribus magno
ſuo malo JORDANUS BRUNUS, tacitè THOMAS
CAMPANELLA ſed & DAVID FABRITIUS ſi ARGOLO
eredimus! De KEPLERO jocone an ſerio ſcripſerit quæ in
Aſtronomia Optica leguntur: *Veri non abſimile eſſe, non tan-
tum in Luna, ſed etiam in Jove incolæ eſſe, detegendos ſi dentur
aut naves aut vela per auram Cœleſtem non conſtat, ſubjicit enim*

hæc

(a) 1778 (b) 1778 (c) 1778 (d) 1778 (e) 1778

haec jucunde sint interposita, miraculo humanae audaciae, sed recte
addit RICCIOLUS: Quid vero KEPLERI ingenio auda-
cius? De Cusano certum est eum in hanc sententiam
fuisse procliviorum; Nec ab ea abhorret CHRIST. WIT-
TICHIUS in Theologia Pacifica, imo in Theologia Pacifica
Defensa non nisi difficulter eam deserit. Contra GALI-
LÆUS, GASSENDUS, RICCIOLUS GVERICKE aliique
velut fabulas rejiciunt quicquid de Astrorum Incolis ad-
fertur.

14. Solet totus ille exercitus, non incommodè in cen-
trum, & ea quæ centrum circumstant, dispesci. Sic ex ve-
teribus statuebant omnes illi qui universum finitum, & idem
cum Mundo ponebant, nominatim Plato & Aristoteles,
quatenus Mundo globi formam tribuentes, attribuebant
ipsi ut extremam circumferentiam, ita punctum medium
seu centrum, a quo ductæ omnes ad circumferentiam rectæ
lineæ æquales forent, dissensus solum in eo existit, quod A-
ristoteles constanter assereret, terram esse in Mundi (seu Uni-
versi) medio, adeo ut centrum terræ idem cum centro Uni-
versi foret, Plato autem interdum terram, interdum solem
in medio constitueret. Ex iis qui Universum affirmabant
infinitum; solus Chrysippus, à sectæ suæ placito desciscens,
medium admittebat, reliqui omnes illud inficiabantur. Sic
Epicuræi jactabant auctores suos Mundi mœnia diruisse.
Hodie in hanc sententiam incumbit BURNETIUS, (a) Cœ-
lum stelliferum ut *aterrum ovorum & vitellorum spectandum*
esse censens. Sed & BACONI de VERVLAMIO, (b)
magis consentaneum videtur, ut, si detur motus terra, systema
omnino tollatur & spargantur globi absque systemate & medio, quam
ut constituatur tale systema cujus sit centrum sol. Enimvero non-
dum quisquam vel Veterum vel Recentiorum, quantum con-
stat, motum telluris ita demonstravit, ut non dicam eviden-
tiam sensu, & rationes à RICCIOLO (c) in contrarium allatas,
sed auctoritatem sacrarum Literarum deserere cogamur.
Quæ WITTICHIUS, IRENÆUS PHILALETHA, VEL-
THU-

(a) p. 278. (b) p. 612. op. (c) Lib. IX. Alm. P.P.

THUSIUS, LIPSTORPIUS moliti sunt, id sane non evincunt. Multò verò minus BURNETIUS id quod intendit, obtinebit unquam. Est, est universus Mundus, quantum quantum est, post DEI gloriam propter hominem. Nec inanis, à Judæis magnificè de se sentientibus, derivata opinio, cum BURNETIO, aut nimia philantia cum GASSENDO (a) habendum, omnia quæ creata sunt ad hominem post DEUM referenda esse. Cum ipse benignissimè Opifex id affirmet Deut. IV. v. 19. Ebr. I. v. 14. Nec aliter senserè Veteres, ut ex Hermete Trismeg. liquet, cujus ut & aliorum Philosophorum Testimonia adduxit WENDELINUS (b) contra Scaligerum disputans. De Centro ipso, non pauca lectu jucunda, reperiuntur apud KIRCHERUM (c). Systemata Pythagoræ, Platonis, Porphyrii, Ægyptiorum, Copernici, Tychois suumque proprium exposuit RICCIOLUS (d). Cælum stellatum non esse instar unius Regionis, seu ut vulgo loquuntur, Orbis, verum stellas fixas, alias aliis sublimiores, & quasi in diversis Orbibus existere, post Baconem probarunt & confirmarunt KIRCHERUS, SCHOTTUS, (e) RICCIOLUS. (f)

15. Cohærentiam quod attinet, idem ille Illustris Angliæ Cancellarius, triplicem ejus rationem esse posse advertit. *Aut enim vacuum datur, aut continuum, aut contiguum.* AC vacuum coacervatum in spatiis interstellaribus disertè posuit GILBERTUS, idemque Antiquorum nonnulli, ex iis qui globos spargi sine systemate opinati sunt, inveniuntur. Nec multum abluat OTTO de GVERICKE (g) ex cujus sententia *spatium illud intermedium inter Corpora Mundana non est materiatum, sed purum immateriatum quid, per quod à sole diffunduntur virtutes ejus, non quidem in infinitum, sed eo usque quo Orbis Virtutis solis, sive ut communiter dicunt, radii solares effectivè excurrunt, vel excurrere possunt, ita ut in tali Virtutum*

C

Orbe

(a) p. 529. Opp. (b) Contum. Phys. Sect. II. p. 102. sq. (c) Mund. Subter. Lib. I. (d) Alm. P. Pr. L. III. c. 6. (e) In Itiner. Eetst. p. 342. sqv. (f) Lib. VI. Alm. P. Pr. p. 414. (g) Experim. Magd. Lib. VI. c. 2. p. 199.

Orbe simul contineantur Planeta & circumferantur. Alibi verò dicit (a) secundum nostram sententiam, vocabulum Cæli, est respectivum vel relativum quid, sicut de loco quoque diximus, quod non sit per se singulare vel reale, sed relativum quidpiam, habens respectum ad certum quid aliud, cuius respectu sic vocatur, quod si hoc non esset, nec illud esset, id quod dicitur. At juxta Peripateticos totus Mundus materiatus quid est, ita ut omnia corpora Mundana, mediante materia ignea cælesti, velut substantiali vinculo inter se sint alligata, consequenterque omnia simul unam Mundum constituent, alii auram cælestem, vel ætherem vocant, cui acutissimè LEIBNITZIUS (b) motum conjungit, WENDELINUS (c) verò Sympathiam. Illam admittit etiam BACO de VERULAMIO (d) sed ita ut ex pluribus contiguis eam constare putet, quæ non quidem solida sint, sed quæ sibi superjaceant nec commisceantur, quemadmodum argento vivo, supernatat aqua, aquæ oleum, oleo spiritus vini. Hinc eorum sententiam rejicit, qui arbitrantur, totum hoc spatium, quod à Terra, usque ad ultimum Mundanorum corporum terminum sese extendit, repletum esse aura liquidissima & agillima, quam tamen recentiores KIRCHERUS (e) & alii defendunt.

16. Cum vero æthereum istud expansum, nullâ certâ figurâ constet, sed vaga & incerto fluxu, mundum permeet supremus Architectus, globos in eo ab Origine conditos, eâ harmonia, symetria, ordine & proportione, ad invicem, disposuit, ut nullus alteri impedimento foret aut occuribus mutuis se impeterent, sed sibi mutuo auxilio & adjumentoque essent, & medii veluti vicarii soles quidam, singulos sibi subditos globos lucis indigos, suo in circuitu luce debita, perfunderent. Atque in hoc sapientissimo & elegantissimo ordine, ipsa Mundi forma consistit. Errant enim nimium quantum, qui vim quandam statuunt per totum Mundum sic diffusam, partesque ejus continentem, cujusmodi in animali est anima, unde etiam animam Mundi vocant,

(a) *L'ib. II. c. 5. p. 58.* (b) *Hypoth. N. P. §. 1. 2. f.* (c) *sect. II. Contem. P'oyf. p.* (d) *p. 615.* (e) *In Itin. Epist. p. 355.*

cant, ut PLATO de quo prolixè GASSENDUS, (a) Stoici de quibus copiosè, THOMASIVS (b) Henricus Morg de quo Celeberr. STURMIUS. (c) Nam Mundus non est species quædam C.N. sed pulcherrimum ac perfectissimum omnium specierum systema. Bene SENNERTIVS moderni Philosphi Mundum unum esse unione formæ informantis negant, ipsi quæ tantùm tribuunt unitatem ordinis eorum, quæ ab uno ducto principio, in eundem unum tanquam in finem proprium deducta, conveniunt & inter se, & in illo, adeo quod ab uno & ad unum omnia, ut ait Scaliger. Forma itaque Mundi est ordo seu ordinata Corporum Naturalium series. Ordo, inquam, non ordinatus, qui nihil est, nisi res ipsæ aptè dispositæ, rationem materiæ habentes, sed ordinans, qui est accidens & mutua ratio partium inter se, seu ut AUGUST. (d) definit, parium dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio Græcis *Εὐταξία* itemque *διακόσμησις* dicitur. De qua prolixè WENDELINUS. (e)

17. Ab ordine hoc porro habet quod unus sit. Unum enim actu esse, non plures, & Sacræ Literæ, & Nobilissimi quique Philosophorum, docent, quos cognoscere cupienti STOBÆUS (f) atque GASSENDUS (g) magno cumulo admetientur. Fuit quidem pene omnibus sæculis, de hac Unitate dubitatum, ut moderatissimus hic Diniensium Præsul fusissimè probat, sed rationes quæ contra eam adducuntur aut frivola penitus sunt, aut non multum habent probabilitatis. Interdum lusus est in voce, & vocabulum Mundi, aut pro parte tantum Mundi, aut pro diverso situ in Hemisphærio, aut pro diversa duratione sumitur, quo videantur Buxtorf. Lex Talm. voce *עולם* PEARSONIUS. (h) VICERRUS. (i) Stoicorum & aliorum nonnullorum sententia, quæ nomine Universi præter Mundum unum, infinitum, adhuc spatium denotatur, quomodo excusari vel emoliri queat, docet GASSENDUS l. c. Empedocli qui Mundum, partem

C 2

(a) *Phys. Sect. I. L. I. c. 5. p. 155. sq.* (b) *In Dissert. de Stoicæ. M. Ex. c. 6. C. Phys.* (c) *In Coll. Curios. P. II.* (d) *L. XIX. de C. D. c. 13.* (e) *Sect. H. p. 86.* (f) *Ecl. Phys. c. 25.* (g) *l. c. exp. 2. p. 139.* (h) *Expos. S. A. p. 86.* (i) *Thesaur. P. II. f. 125.*

partem esse dixit τὸ πλεονεξίαν, cum reliquum materia foret, opponimus tot alios præstantissimos Philosophos, quibus Univerſum idem cum hoc Mundo est viſum. Est vero & alter hic vitandus ſcopulus, ne ſcilicet ita Mundum unum ſtatueamus, ut cum CARTESIANIS [a] DEum plures Mundos creare poſſe negemus, cum neque infinita DEI vis exhauriri valeat, neque nihili abyſſus e qua iſte eductus eſt, ulla ei ratione obſiſtere.

18. An vero unus hic Mundus, ita ſit contiguus, & partes undiquaque ſeſe ſic contingentes habeat, ut ne minimum quidem interſtitium aut ſpatiolum detur, in quo non ſit Corpus, nec ullum vacuum Philoſophicè ſumptum dari queat, ſæpius hæcenus diſceptata, ſed nondum composita controverſia eſt. PETRUS GASSENDUS [b] & dari naturaliter vacuum Diſſeminatum ſeu Intersperſum, & ſumme neceſſarium eſſe contendit, eo quod alias nullus motus fieri poſſet. Coacervatum verò non quidem perinde dari exiſtereque arbitratur ſecundum naturam, poſſe tamen produci præter naturam h. e. vi aliqua corporibus factâ, idque geminum, unum quod momentaneum ſit, alterum quod permanente. Illud contingere credit in exploſa fiſtula tormentaria, nec non ſi duo corpora undiquaque contigua, à ſe invicem divellantur, hoc in pila Heronis vitrea, in Cylindro Galilæi, in Tubo Torricelliano. Contra OTTO GVERICKE [c] abſolutè negat vacuum mathematicè aut phyſicè ſumptum, in hiſ inferioribus dari aut produci poſſe, nec aliter ſentire videtur ROB. BOYLE, [d] Cartefiani denique illud natura impoſſibile eſſe affirmant. Vid. ANTON. LE GRAND [e] cui utiliter iungentur quæ congeſſit CASP. SCHOTTUS. [f]

19. Differentias positionis locum concernentes mundanæ machinæ plerique tribuunt, ſed magna animorum diſſenſione. Nam ne quid de Poetarum triplici Mundo ſupero, medio & infimo, dicamus, aut de Rabbiorum & Cabala-

[a] *Claub. Diſt. Phyſ. lb. 477.* [b] *ſect. I. Lib. II. c. 3. fol. 192. ſq.*

[f] *Lib. III. cap. IX. p. 84.* [d] *Exper. Mech.* (e) *Inſt. Phyſ. Art.*

44. p. 334. [e] *Magia A. & N. P. III. L. 7. c. 1. p. 520.*

balistarum de quo apud VOETIUM, Ecce Varro finistrum, dextrum, anticum, posticum posuit. Cleomedes supera, infera, antica, postica constituit, & ipse ARISTOTELES non modo medium extremumque opposita habuit, ac voluit omnem Naturæ motum, esse aut à medio, aut ad medium, aut circa medium, sed statuit quoque locum medium esse infimum ac deorsum, & locum extremum, supremum ac sursum. Ea verò PLATO rejecit omnia, denominationes hæc comparatè duntaxat, ad hominis partes, Mundo attribui censens. Quæ etiam ARNOBII mens fuit, sic enim is: *Mundus ipse per se, sibi que neque dextras, neque laevas, neque superas regiones habet, neque imas, neque anticæ, neque posticæ. Quicquid enim teres est nullum habet initium, nullum finem. Itaque cum dicimus dextra est hæc regio hæc laeva, non ad Mundi habitum dicimus, sed ad positionem nostram situmque revocamus. Quod de dextro & sinistro, antico item & postico verissimum esse vel ex eo liquet, quod differentia ista tam diversimode enumerentur ab Auguribus, Poëtis, Astronomis, Geographis, Phycis, [a] sursum nihilominus & deorsum per se & ex natura totius aggregati Mundo competere, ex prioribus consequitur.*

18. Quousque vero sursum, amplissimum hoc spatium, sese extendat, Astronomia determinare nequit, & multò minus Phycis. Cum enim mensurâ destituamur, quâ Fixarum à nobis distantias metiamur, conjectura est ac divinatio mera, quicquid à quocunque de ea definitur. Vastissimum interim esse satis probant, varietas stellarum respectu magnitudinis apparentis, & motus Cometarum stellarumque nunc apparentium, nunc latentium. Quantumcunque vero sit, finitum est, non *indefinitum* quod contendunt CARTESIANI, nec infinitum quod veteres nonnulli asseriebant, contra quos disputat ARISTOTELES & ejus *Commentatores* [b] sententiarumque in Dist. 34.

21. Ex finitate, figuram illud habere consequitur, ut ut quæ vel qualis ea sit, non minus obscurum quam prius existat. Ovata dixerunt Orphicis, Liberique Patris sacris ini-

C 3

tiati

[a] Vid. Conimbric. L. 2. de Cæl. c. 2. [b] In Lib. 3. Acro. Phycis

tiati apud ACHILLEM TATIUM & MACROBIUM, coniam nonnulli apud eund. ACHILLEM, quadratam EUSTACHIUS. Pro sphaerica pugnant Peripatetici, & pleriq; veterum recentiorumq; Mathematicorum, sed argumenta quae adferunt non sunt cogentia, quod liberaliter largitur RICCIOLUS, (a) & pluribus ostendit GASSENDUS (b). Cave vero inde cum CLAUBERGIO, colligas vanam esse omnem hanc meditationem, sufficit enim quod ad sensum sit orbicularis.

21. Et sane convenientissimum videtur figuram perfectissimam, perfectissimo competere opificio. Quid vero Mundo perfectius? Convenit ei perfectio Essentialis, quae tantam naturarum varietate & distinctione, quoad genera, species & affectiones proprias Mundus constat, quanta ad ejus perfectionem requiritur, singulae quoque Mundi partes, essentiam perfectam, propriisque convenientibus ab essentia manentibus gaudent. Convenit ei perfectio accidentalis & secundaria, quae ex individuis ipsi accedit, quatenus ad universi bonum ordinantur, nec non ex accidentibus communibus, quorum respectu individua se mutuo excedunt, ita ut alia aliis sint perfectiora. An vero animalia imperfectiora & insecta etiam ad ejus perfectionem pertineant? Itemque an universum ita perfecte ab initio conditum sit, ut postea novae species aut individua stirpium, animalium, &c. sive ex naturali animalium diversorum commixtione, sive industria & artificio hominum, non sint producta, aut quotidie produci queant? Nec non an & quo pacto DEUS Mundum perfectiorem, reddere posse dicatur, expeditum dederunt PERERIVS (c) & WENDELINUS.

22. Ex perfectione resultat Pulchritudo, consistens in admirabili Corporum Naturalium varietate, singulorum proportionem, & absolutissima constructione. Nihil hic vile aut inelegans; maxima, mediocria, minima, pulchra sunt omnia. Imo nusquam magis quam in minimis concinnitas illa elucescit. Quot vel in culice sunt miracula? Ubi visum in eo

prae-
(a) *Almag. Pars Pr. L. I. c. 2.* (b) *Phys. L. I. c. 4. fol. 153. Opp. t. b. 479.*
dut. Phys. (c) *Gen. l. v. 24. I. Conf. Ps. Sect. II. C. XII.*

pretendit Natura? Ubi gustum applicavit? Qua subtilitate
adnexuit alas? LEO Ebræus pulchritudinem definit *gratiam*
quandam formalem, quæ cognoscenti maximam adfert jucundita-
tem, ipsumque ad sui allicit amorem. Quod si est. Pulcherrimus
erit Mundus quia ex contemplatione ejus incredibili volu-
ptate perfunditur animus, & in admirationem rapitur maxi-
mam. Testis est AUGUSTINUS, (a) testis THALES, in-
ter cujus memorabilia refert LAERTIUS illud, *κάλλιστον κόσ-*
μῶν, testis Cicero, cujus illustris planè locus est Libro Se-
cundo de Natura Deorum, dignus qui inspiciatur.

23. Neque Varietas in la admiranda officit, quo minus
omnia inter se suaviter conspirent. Nam *quemadmodum hu-*
mani Corporis Microcosmi unum membrum fovet aliud, & reciproco
quodam foru omnia singula, & singula, omnia, afficiunt, ita astre
Megacosmi seu magni Mundi veluti Membra quaedam, influxibus,
reciprocis viribusque unicuique propriis se afficiunt ac sive immédia-
to vicinorum sive mediante intermediorum influxu se invicem fo-
vent, alunt, roborant & denuo, hoc mutuo unionis fœdere colligam
perpetuo conservant, inquit KIRCHERUS (b) in suo vastâ glo-
riâ radiante Mundo Subterraneo, in Itinere vero Exstatico
per numeros Harmoniæ hujus rationes explicare conatur.
De KEPLERO & MIZALDO nil attinet dicere. VOETII
(c) monitum non possum non adducere. Postquam enim
inter Harmoniam, Signaturas & sigilla distinxisset, pruden-
ter observat, ita admittendam esse Harmoniam, ne in Ma-
giam illicitam & superstitionem incidamus.

24. Sed non minus sapienter ait Celeb. ROB. BOYLE (d)
sepe mihi suspicio nata est, annon in massa terrea, magnâ quan-
quam lenta interna sit mutatio sive illic nata, sive aliorum Mun-
danorum globorum concursu producta, & post nonnulla dubito
an magnæ istæ regulæ ut videntur, quibus corporeæ istæ res perfici-
untur, quæque constantiam fabricæ Mundanæ cursusque rerum
supponerent, uniformiter sic semper habeant ut nos quidem vulgo
nobis persuademus. Ad quæ deprehendenda non parum con-
ferre posset, desiderata a Verulamio Collegiorum Majorum
accurata Historia.

24. Neq;

(a) Serm. 149. (b) Lib. II. c. 3. f. 57. Dial. I. d. c. 6. p. 414. (c) Tom. I.
Disp. Select. p. 713. sqv. (d) Susp. Cosm. p. 4. §. 8.

25. Neq; tamen ex his, quicquam roboris accedit sententiae illi, quae per ora vulgi jactatur, Mundum hunc, & omnia in eo corpora, universali quodam & perpetuo in occasum ire decursu, nec Coeli jam eandem quae quondam fuit uniformitatem, nec terrae fertilitatem, nec plantis animalibusque vigorem, nec homini vel staturam vel aetatem eandem existere. Et tamen enim mixta alterationi & diminutioni obnoxia sunt, terra & olim per diluvium quandam mutationem passa sit, & hodiernum quoque quoad partes & regiones, subinde patiat, vitae longitudo in hominibus discrepet, & individua perpetuo occidant; tamen ideo Mundus ipse, nec ratione sui totius, nec ratione partium, universaliter & perpetuo in pejus ruit, non ratione Coeli, non ratione Elementorum, non ratione mixtorum, tam animatorum, quam in animatorum, non denique ratione hominis, sed in perpetua individuorum mutatione, ipse manet constantissimus. Quod ne operosius probemus facit diligentissimus scriptor JOH. JONSTINUS qui de Constantia Naturae egregie est commentatus.

26. De fine & interitu ejus duae jam olim extremae fuerunt opiniones. Quidam enim veterum Philosophorum, defenderunt Mundum non esse interitui obnoxium, atque idcirco semper futurum, nunquam finem habiturum. Ejusmodi primo fuere quotquot opinati sunt eum esse ingenitum ut Parmenides, Melisus, Xenophanes, & praesertim Aristoteles. Deinde illi qui tametsi Mundo principium tribuerent, finem tamen etiam concesserunt, ut Pythagoras, Plato, censentes Mundum quidem esse suapte natura mortalem, sed immortalem ex voluntate opificis. Alii autem ut eum corruptioni obnoxium statuerunt, ita etiam olim interiturum dixerunt, ut Empedocles, Heraclitus, Hippasus, Democritus, Anaximenes, Epicurus praecipue vero Stoici, qui copiose admodum tum de ejus Conflagratione, tum Renovatione, disputarunt.

Quae ex GASSENDO, [a] THOMASIO [b] & WENDELINO [c] nullo negotio repeti poterunt.

T A N T U M.

[a] *Phys. Sect. I. L. I. c. 7. f. 170.* [b] *In de Stoica Mundi Exustione.*

[c] *In Cont. Phys. Sect. II. cap. XIV.*

W 74

